


1. Thomasius, Christianus : De iure personarum
2. Thomasius, Christianus : De iuribus
3. Beyer, Georgius : De iuribus personarum
4. Thomasius, Christianus : De iuribus personarum
5. Thomasius, Christianus : De iuribus personarum
6. Thomasius, Christianus : De iuribus personarum
7. Thomasius, Christianus : De iuribus personarum
8. Thomasius, Christianus : De iuribus personarum
9. Thomasius, Christianus : De iuribus personarum
10. Thomasius, Christianus : De iuribus personarum





1.
1.
2.
3.
4.
10
10
2
3



1626.

1. Thomaeus, Dominicus: Illustrum juris questionum
liber.
2. Thomaeus, Dominicus: De testamentis
3. Franckius, Georgius: De aestimatione rerum
debitarum
4. Luerius, Johannes: De attentatis appellatione
pendente

1627.

Fulda, Daniel: De reservationis summi ~~et~~ nostri
principio.

1628.

1. Fomannus, Ortelius: De actibus canonice
partim jure et privilegio.
2. Fulda, Daniel: De emptione venditione
3. Rimmerus, Valentinus: Utrum, quod incapax
a testatore relictum est, pertinet ad fiscum?

1629.

1. Furlio, Paulus: De nuptiis.
2. Rolfinck, Wernerus: De melancholia.
3. Richter, Christophorus Philippus: De emptione et
venditione
4. Riemerus, Valentius: De usucapionum generalibus.

1630.

1. Formanus, Ortheus: Sylloge controversiarum
fundationum theoreticarum - practicarum.
2. Riemerus, Valentius: De injuriis et famosis
libellis.
3. Theodoricus, Petrus: De jure divinis, Sacris Imp.
Constitutionibus promulgato.
4. Quercius, Johannes: De privilegiis rusticorum

1631.

1. Armaneus, Tominius: De tributorum et collectorum
indictionibus.

2. Riemerus, Valentianus: De actionum censione.

3. Riemerus, Valentianus: Sylloge generalis materiae
probatoriae

4. Riemerus, Valentianus: De dolo.

1632.

Riemer, Valentianus: An status et ordines Imperii
iusto federe cum invictissimis . . . rege Sacciae,
aperta morte in exercitum numerosum Imperatoris,
juxta irruerint?

1633.

Riemer, Valentianus: De usu facti.

1634.

Riemer, Valentianus: Semicenturiae quaestionum
celeberrimum et difficiliorum de probationibus et
presumptionibus.

1635.

1. Annus, Dominicus: Fasciculus . . . quaestionum
ex . . . contractuum materia

1635

2. Bembekker, Jurin Philippus: De substitutionibus.
3. Formanus, Ortelphus: De professoribus, qui in urbe
Constantinopolitana docentes, ex lege meminerunt
Comitivam.
4. Püreschenckh, Zacharius: De juramento abstinentie
fidei, quod accedat in litem.
5. Püreschenckh, Zacharius: De induciis moratoris
vel rescriptis, sive literis dilatoriis: annalibus
vel quinquennialibus.
6. Püreschenckh, Zacharius: De compensationibus.
7. Piemerus, Valentinus: Disputatio in unum. ~~et l. 4. c.~~
et l. 3. ff. de just et. jur.

7632.

CHRISTO DUCE ET AUSPICE CHRISTO

M

ILLUSTRUM

JURIS QUÆSTIO-
NUM

1626,1

CINNUS

Quem

Permissu Nobilissⁱ ac Amplissⁱ J^Ctorum Or-
dinis in Almâ Salanâ

PRÆSIDE

Dn. D. DOMINICO ARUMÆO
Hæreditario in Lobedaw & Geschwitz /
Juris Utriusque Consulto, Codicis Professo-
re, Facultatis Juridicæ Seniore & pro tempore Decano, Cu-
riæ provincialis ac Scabinatus Assessore, Præceptore
suo summo animi cultu observando.

Publicè, sed placidè

Omnibus

Veritatis, Justitiæ, sivi

Studiosis

discutiendum exhibet

BUGISLAUS PHILIPPUS CHEMNITIUS.

In auditorio J^Ctorum, ad diem 20 Martii *Maji*

JENÆ

Typis JOHANNIS BEITHMANNI,

ANNO M. DC. XXVI.



V I R O
NATALIUM, VIRTUTUM, LITERARUM
SPLENDORE
NOBILISSIMO
Dn. GEORGIO ab Alfeſt/
Hæreditario in Quarnebeck/&c.
Illustrissi Principis ac Domini,
Domini Friderici Ducis Slesvico-Holsa-
tia, &c. à consiliis secretioribus
Patrono meo ac literarum summo
Has studiorum meorum decimas
Offero, Consecro
Bugislaus Philippus Chemnitius.

Vastum juris labyrinthum flosculo-
rum aliquot delibandorum gratiâ ingressuris
operæ pretium videtur, ne aberremus aut in
avia abripiamur, Institutionum juris, ceu Ari-
adnæi fili ductum subsequi: Quibus nec faci-
liorem, nec exactiorem methodum quæren-
dam, Jctorum apex Cujacius censuit. Ingre-
dimur illum, sequimur istas, secundum seriem
titulorum, fragrantissimos è singulis flores ex-
cerpturi, flagrantissimas Interpretum dissensu
ac pugnâ quæstiones proposituri discutien-
das. Quod fiat

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Sic enim suas quoque Institutiones Imperator
exorsus est, & nos theses merito nostras ordi-
mur. Sed an instrumentum, omisâ divini hac
Numinis invocatione vitietur, quæstionis est?
Nos erubescimus sine lege loqui, *Nov. 18. c. 5.* nec
essentialibus instrumenti solennitatibus eam rectè connume-
rari, censemus: Nisi hoc ipsum statuto fortè alicubi sit cau-
tum, aut consuetudine obtentum.

2. Juris inter alia præceptum est, alterum non læde-
re §. 3. *de just. & jure.* An ergò seipsum lædere, jure permis-
sum? Minimè verò gentium. Hoc enim natura abhorret:
Leges tam divinæ, quàm humanæ severè prohibent: Reipu-
blicæ, cui nascimur, cui vivimus, cui mori debemus, salus ac
utilitas non admittit.

3. Civile jus est, quod quisque populus ipse sibi consti-
tuit

tuit §. 1. de jure nat. gent. & civ. Liber modo & sui sit juris. Alienæ jurisdictioni subjectus, sine superioris consensu legem condere nequit juri communi contrariam l. 3. §. 5. de sep. viol. Nisi eam facultatem aut expressâ Principis sui concessione acquisierit, aut tacitâ ejus patientiâ præscripserit.

4. Liber homo major viginti annis servus fit, cum ad pretium participandum sese venundari patitur §. 4. de jure person. Hodiè cum servitute iste quoque inducendæ servitutis modus usu inter Christianos expiravit: Et ea de proprio corpore disponendi potestas in tantum limitata est, ut dubitatum sit inter auctores juris, num quis in perpetuum locare operas suas possit, quod promissio ea saperet naturam servitutis. Affirmans tamen opinio veritati propior: Quod in hac facti obligatione præstando interesse quis liberetur, nec libertatis ullam patiatur jacturam.

5. Non debet calamitas matris nocere ei qui in ventre est: *pr. de ingen.* Id ne fiat, nec quæstio de matre prægnante habetur, & damnatæ pœna post tempus partus differtur. l. 3. de pœn. Quod tamen ad pœnam corporis afflictivam restringi potius, quam ultra eam extendi, & textui & rationi convenientius.

6. Manumissio per vindictam voluntariæ jurisdictionis est, nec acta nec tribunal requirit, sed vel in transitu Magistratus fieri potest §. 2. de libert. Et Magistratus, quamvis in iis, quæ contentiosæ jurisdictionis sunt, sibi ipsi jus dicere nequeat l. 10. de jurisd. rectè tamen apud se manumittit. l. un. §. 2. de off. Cons. l. 20. §. fin. de man. vind.

7. Major septendecim annis ut postulare l. 1. §. 3. de postul. judicare l. 57. de re jud. Sic Procurator ad litem esse potest §. 5. Quib. ex caus. man. non lic. l. 13. de man. vind. Ubi tamen restitutionis in integrum metus est, tam ab adversario exceptione l. 51. pr. de procur. quam à Judice ex officio rectè repellitur. l. 12. C. de procur.

8. Major ultimarum voluntatum, quam contractuum favor est, unde quod in his, magis in illis obtinet: Satis enim inhumanum est, quam vivi licentiam habent, morientibus adimere *tit. de lege Fus. Can. toll.* Nec magis quid hominibus

bus debetur, quam ut supremæ voluntatis (postquam jam aliud velle non possunt) liber sit stilus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium. *l. 1. C. de sacr. ecol.* Si tamen diversa subsit ratio, argumentum ab illis, ad has tutò non ducitur *l. 20. de Verb. sign.*

9. Jure naturæ, quo omnes homines æquales sunt. *l. 32. de R. J.* pariterque liberi, pariter ingenui *Nov. 89. c. 1.* fervi etiam ab ipsis Dominis injuriâ affici, rectè dicuntur. *§. fin. de his qui sui vel al. jur. l. 1. C. de injur.* Jure civili, quo pro nullis habentur *d. l. 32.* & mortuis assimilantur *l. 59. §. 2. de cond. & dem.* nulla ipsis injuria fieri intelligitur.

10. Qui ex marito & uxore ejus nascitur, in mariti potestate est: Item qui ex filio & uxore ejus, in avi potestate est *§. 3. de patr. pot.* Ejusque familiam sequitur ac civitatem. *l. 19. de statu hom. l. 1. §. 2. Ad munic.* Hinc magni nominis quidam Jctus, consulente eo tempore Saxonix Septemviro, Carolum, qui Quintus postea hujus nominis Imperator factus est, Maximiliani Primi nepotem, vivo Avo natum, Germanum esse, imperii que capacem, rectè respondit.

11. Filii familias si justas contrahere nuptias velint, necessum est ut consensum habeant Parentum, quorum in potestate sunt *pr. de nupt.* Sine quo nec justæ sunt nuptiæ, quanquam perfectæ non rescindantur *Paulus 2. sent. 19. §. 1.* nec liberi ex tali conjunctione prognati *l. 11. de statu hom.* Civili huic dispositioni juris divini dicta ac exempla calculum addunt: Nec puriores canones abeunt in contrarium, qui tale matrimonium ratum magis, ut dissolvi nequeat, quam legitimum, ut ex legum præscripto contractum dicatur, pronuntiant. *c. fin. 28. q. 1.*

12. In plurimis causis assimilatur is, qui adoptatus vel arrogatus est, ei, qui ex legitimo matrimonio natus est. *§. 8. de adopt.* Non in omnibus: Ubicunque enim legis aut hominis dispositioni per adoptionem fraus struitur, adoptivi pro liberis neutiquam habentur. E. g. *pr. de excus. tut. l. 51. §. 1. De leg. 2. l. 76. De cond. & dem. l. 7. §. 2. de bon. dam. 2. FF. ad. §. adoptivus.*

13. Militia de Patris potestate filium non liberat §. 4. Quib. mod. jus patr. pot. l. 3. C. de castr. pec. mil. l. 12. Nec armata, nec togata. Quoad castrense tamen peculium, vel quasi, vice Patris familias filius habetur l. 2. ad senat. Maced. & liberè de eo, tam ultimâ voluntate, quàm inter vivos disponere potest l. fin. C. de inoff. test.

14. Permissum est Legibus 12. Tab. Parentibus, testamento liberis suis impuberibus tutores dare §. 3. de tut. l. 1. pr. de test. tut. Quæ testamentaria tutela quamdiu speratur, legitima cessat l. 11. pr. eod. Nisi aliis posterioribus legibus Parentes liberis dare testamento tutores prohibiti sint, & agnatis tutela expressim delata. Sicut Electoralis in aureâ bullâ Caroli Quarti, exclusis testamentariis, agnatis defertur.

15. Filiorum appellatione, propriâ vi ac significatione vocis, non continentur nepotes. l. 220 pr. de V. S. Unde si quis filiis tutorem dederit, nepotibus non intelligitur dedisse §. fin. Qui test. tut. dare l. 6. de test. tut. Per extensivam tamen interpretationem, ex paritate rationis, & conjecturâ voluntatis, filiorum appellatione sæpè nepotes accipiuntur l. 84. l. 220. §. 1. & ult. de V. S. l. 14. ad Senat. Mac. Hinc si quis filiis tutorem dederit, & vel filios non habeat, vel puberes, nepotes autem impuberes habeat, & tales, ut in eorum personâ consistere tutela possit, nepotibus eos datos accipimus arg. d. §. fin. & d. l. 6. Ut tutelæ datio valeat magis, quam pereat l. 12. de rebus dub.

16. Civilis ratio civilia quidem jura corrumpere potest, naturalia verò non utique §. fin. de leg. agn. succ. Sunt enim immutabilia § pen. de jure nat. gent. & civ. Suâ scilicet naturâ ac essentiâ: Effectus enim ejus à jure civili justâ de causâ impediri ac restringi possunt. Sic cognatio, quæ juris naturalis, nullo jure civili dirimi potest. l. 8. de R. 7. Ne maximâ quidem capitis diminutione §. 10. de nupt. pr. de serv. cogn. Jus, quod ex cognatione tanquam effectus profluit, potest. §. 6. de cap. dimin.

17. Filius familias cum à Patre emancipatur, capite minuitur §. 3. de cap. dimin. Hodie, quia & solennitates, quibus emancipati in imaginariam servitutem deducebantur, sub-

sublatæ §. 6. *Quib. mod. jus patr. pot. l. fin. C. de emanc. lib.* Et antiqui juris inter suos ac emancipatos, agnatos ac cognatos, differentia *Nov. 118. c. 1. & 4.* filii ex hac causâ capite minui desierunt.

18. Quod accipitur per interpretationem, perinde est, ac si verbis legis introductum esset *tit. de leg. patr. tut.* Verbum enim, ex legibus, sic accipiendum est, tam ex sententiâ, quàm verbis legis *l. 6. §. 1. de V. S.* Hæc autem interpretatio ex identitate plerumque rationis fieri solet: Ubi enim eadem militat ratio, meritò idem jus statuitur, *hic & l. 32. pr. ad L. Aquil.* Modo ratio illa sola per se sufficiens ac principalis causa sit latæ legis, aut legislatoris intentioni productio legis manifestò non repugnet. Nec in favorabilibus modò ea extensio procedit, sed & odiosis: Qualia correctoria *arg. l. 3. C. de ind. vid. toll.* & pœnalia *l. 7. §. 2. de jurisd. l. 13. ad L. Jul. de adult.*

19. Ubi successionis est emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. *tit. de leg. patr. tut.* Modò habilis persona ac capax tutelæ sit. Ut ergò hodiè cognati pariter cum agnatis successionis spem habent: Ita, quod ad tutelam, pari cum iis jure censentur. *Nov. 118. c. 5.* Ubi verò ab aliqua successione lege remonentur, nec tutela illis defertur. Sic in feudis ad proximiores agnatos, iisque non exstantibus, Dominum feudi ea pertinet.

20. Ad tutelam vel curam nulli vocantur, nisi perfectæ ætatis sint, ac vicesimum quintum ætatis annum impleverint *tit. de fiduc. tut. l. fin. C. de legit. tut.* Et minores nec volentes admittuntur: Cum sit incivile eos, qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere nolcuntur, & ab aliis reguntur, aliorum tutelam & curam subire. *§. 13. de extr. tut.*

21. Tutoris datio variis olim Magistratibus successu temporis competiit *pr. §. 3. & seq. de attil. tut.* Hodiè ordinario loci cujusque Magistratui, qui pupillis non habentibus tutores dat: Sed secundùm jurisdictionem suam; *§. 4. eod.* Ne aut illum det, qui jurisdictioni ipsius subiectus non est *l. 1. §.*

§. 2. l. 3. de tut. & cur. dat. Aut illi, qui in ipsius territorio non
sortitur forum l. un. C. ubi tut. pet.

22. Contrahente pupillo tutor præsens esse, & in ipso
negotio, eo scilicet perfecto l. 25. §. 4. de adquir. her. statim
autor fieri debet: Post tempus interposita autoritas nihil agit
§. 2. de aut. tut. Ubiunque enim consensus ad integrandam
contrahentis personam requiritur, pars solennitatis est, &
ipso contractus tempore intervenire debet: Ubi ad confir-
mationem tantum actus, rem gestam ex intervallo subsequi
potest.

23. Pupilli pupillæque cum puberes esse cœperint, illi
videlicet decimum quartum egressi, hæc duodecimum annum,
à tutelâ liberantur pri. Quib. mod. fin. tut. Et tutores illicò
ipso jure, sine Judicis sententiâ, aut alio hominis facto tu-
tores esse desinunt, nec insequentis temporis periculum sus-
tinent l. 11. C. arb. tut. Debent tamen admonere pupillos, ut
petant Curatores: Aut si illi neglexerint, ipsimet petere
l. 7. C. qui pet. tut. Alioquin ex neglectis bonis si damni quid
fenserint pupilli, tutelæ id iudicio sarcire compellentur. l. 5. §.
5. de adm. tut.

24. Furiosus, licet viginti quinque annis major, in cu-
ratione est agnatorum ex LL. duodecim Tab. Item prodi-
gus cui bonis interdictum. §. 3. de curat. Sed an huic ipso jure
ac lege interdicitur, an Magistratus decreto opus est? Et hoc
requirimus, ut prodigus quis declaretur: Nec enim ea res
constitutione ullâ, neque juris autorum quæstione decidi po-
test, cum sit facti magis quam juris, ut in simili l. 32. pr. de usur.
Et illud admittimus, ut confestim post declaratoriam hanc
Judicis sententiam interdictio ipsa lege fiat. l. 1. de Cur. fur. l.
18. de test. Quamvis plerumque etiam sententiæ ac decreto
inferatur.

25. Pluribus tutoribus vel curatoribus datis, utilius est
pupillo tutelam per unum administrari l. 3. §. 6. de adm. tut.
qui secundum formam jure præscriptam pr. de satisd. tut. eli-
gendus est. Si diffusa ad eò tutela est, ut administrationi non
sufficiat unus, dividi ea potest in partes vel regiones. l. 3. §. fin.

l. 4. de adm. tut. Id si Magistratus autoritate, vel voluntate testatoris fiat, unusquisque tutorum pro sua tantum portione tenetur, nec periculum invicem sustinent: Nisi dolus aut culpa eorum arguatur *l. 2. C. de div. tut.* Sin ipsi inter se privatim diviserint, singuli in solidum conveniuntur: Præstito tamen iis cum excussionis & divisionis *l. 1. & fin. C. eod.* tum cedendarum actionum beneficio *d. l. 2. C. eod.*

26. Sententia, quam quis falsis allegationibus ac probationibus meruit, nulla est §. *fin. de excus.* nec rei judicatae parit exceptionem: Minus actionem. Imò si condemnatus Judicis sententiâ solverit, datur soluti repetitio *l. fin. C. si ex fals. instr.* Modò probetur, Judicem allegationis illius, quam falsam esse post constitit, fidem præcipuè secutum *l. 3. C. eod.* Nec interest, num quis falsis instrumentis *l. 11. de except.* Antestibus *l. 33. de re judic.* An juramento à judice delato *l. 31. de jurejur.* obtinuerit.

27. Suspectus remotus tutor, siquidem ob dolum, causâ decreto expressâ *l. 4. §. 1. de susp. tut.* famosus est: Si ob culpam, non æquè. §. *6. de susp. tut.* Ne quidem latam. Hæc enim in contractibus saltem dolo æquiparatur *l. 32. de pos.* Non in delictis & pœnis *l. 7. ad L. Corn. de sic.* In quibus strictior ac benignior semper fit interpretatio *c. in panis de R. 7. in 6.*

28. Fera animalia, simulatque ab aliquo capta fuerint, jure gentium illius esse incipiunt, qui cepit: Nec interest, in suo fundo quis capiat, an alieno §. *12. de rer. div.* Facultas hæc liberè venandi sensim post jure civili limitata fuit, nec in alieno amplius venari licuit *arg. l. 9. §. 5. l. 69. pr. de usufr. l. 26. de usur.* Post tractu temporis pœnissimè extincta: Cum nemini vel in proprio competere fundo, nisi peculiari privilegio munitus esset, soli; ferè sibi Principes jus venandi vindicarent: Quo jure, quæve injuriâ quæritur? Et occupationis, & immemorialis præscriptionis titulo defendi eos putamus.

29. Fundi nomen rem corporalem notat §. *2. de reb. corp. l. 1. §. 1. de rer. div.* Pessimè ergò illi, qui rebus in jure consistentibus accensent, eo que plenam volunt venire proprietatem. Jus nostrum reclamatur, *l. 211. de V. S. l. 115. de eod.*

B

B

R. J. Autoritas omnium latinorum autorum abit in con-
trarium.

30. Ut prædia duplicia sunt: Sic & prædiales servitu-
tes, aliæ urbanorum, aliæ rusticorum prædiorum *pr. & §. 1. de
serv. præd.* Sed ut hæc ab illis dignoscantur ac differant, non-
dum convenit inter omnes. Nos à prædio dominante, cui
debetur servitus, tanquam digniori ac potiori fieri denomina-
tionem putamus. Ut quæ urbano prædio debetur, urbana
sit servitus, quamvis suâ naturâ rus sapiat: Quæ rustico, rusti-
ca dicatur, quamvis potissimum ejus usus sit urbius.

31. Ususfructus est jus in corpore, quo sublato & ipsum
tollī necessum est *pr. de usufr.* Hodiè in qualibet re: Quo-
niam, post Senatusconsultum nulla res est, quæ non recipiat
usumfructum *l. 69. ad L. Falc.* Ut & omnium bonorum
constitui possit: Sed hoc casu æs alienum ex omnibus prius
rebus deducendum est *d. l. 69.* Bona enim, nisi eo deducto,
non intelliguntur *l. 39. §. 1. de V. S.* At si certarum rerum usus-
fructus legatus est, non idem observabitur. *l. ult. de usufr.
leg.*

32. Qui usum habet, in alium eum transferre non
potest *§. 1. de usu & hab.* In eo enim non plus est, quam ad
strictam vitæ necessitatem requiritur, quæ in omnibus æqua
non est. Usumfructum, quia largius jus continet, &
vendere & gratis concedere licet *d. §. 1. l. 12. §. 2. de usufr.* Sed
& locare *d. l. 12. dummodò rei id patiat conditio. l. 15. §. 4.
eod.* Nec ad alium rem, quam cui destinata est, usum loce-
tur *l. 13. §. fin. eod.* Non tamen jus ipsum, quod personæ co-
hæret, sed fructuum saltem percipiendorum commoditas
transfertur *l. 66. in fine de jure dot.* Ut is, in quem translata, ex
personâ fructuarii, non suâ, fruatur.

33. Bona fides est, si quis rem ab eo accepit, quem po-
testatem alienandi habere credidit *l. 27. de contr. emt. sive
Dominum putavit pr. de usuc. sive, non esse, scivit l. 109. de V. S.*
Hæc in usucapione ac præscriptione requiritur. At non sem-
per jure civili, nec in omni. Non semper: Necessaria enim
est tantum tempore traditionis in plerisque contractibus: Ex-
ceptâ emtione, in qua etiam contractus tempus inspicitur.

l. 48. de usuc. l. 2. pr. pro emt. Scientia rei alienæ post superveniens non nocet §. 12. *de usuc. l. un. v. hoc tantummodo. C. de usuc. transf.* Non in omni præscriptione, sed in illâ tantum, quæ longo tempore perficitur. *d. l. un.* In istâ, quæ longissimo & immemoriali tempore nititur, & actiones omnes tollit, de bonâ fide quæri haud solet. Noviores canones (nam veteres cum jure civili amicè conspirant, *c. placuit 16. q. 4.*) & illud, & hoc reformantes *c. 5. & fin. de præscr. c. 2. de R. j. in 6.* totum ferè jus præscriptionum deformarunt ac corruperunt.

34. Donatio usque ad quingentos solidos privatim fieri potest: Major quingentorum solidorum actis insinuanda est §. 2. *de donat. l. pen. §. fin. C. eod.* Insinuatione omisâ, quod superfluum est, tantummodò non valet: Reliqua intra legis terminos constituta quantitas in suo robore perdurat *l. 34. pr. C. eod.* Quædam tamen donationes insinuationem non desiderant: Vel ob favorem personæ donatoris aut donatarii *l. 34. pr. & auth. seq. l. pen. §. 1. C. eod.* Vel ob favorem causæ, ob quam fit donatio *l. 34. §. 1. eod. d. l. pen. pr. & §. 2.*

35. Pupillus solvere sine tutoris autoritate non potest, nec id, quod solvit, facit accipientis §. 2. *Quib. al. lic.* Nec pupillo solvi sine autoritate tutoris ac decreto Judicis potest, ut plenissima contingat securitas *d. §. 2. l. 25. C. de adm. tut.* Si utrumque absit, solutio nil prodest: Nisi existant nummi, aut è consumtis locupletior sit factus pupillus *d. §. 2.* Si solum Judicis decretum defiat, valet, sed causâ cognitâ, per restitutionem in integrum rescindi potest. *l. 1. C. si adv. solut.*

36. Peculii adventitii Pater habet usumfructum, dominium apud filium remanet. §. 1. *Per quos quis cuiq; acquiritur.* Sunt tamen casus non pauci, quibus filio, non Patri acquiritur ususfructus. *ut in auth. excipitur & sequ. l. fin. pr. C. de bon. que lib.* Sed an his casibus, ut vivi de peculio adventitio liberè disponere *Nov. 117. c. 1. §. 1.* sic testari possint, non est citra controversiam? Nos constanter negamus per *l. pen. & ult. C. qui test. fac. poss.*

37. Communem errorem jus facere, communis error est: Nec is juvatur. §. 7. de test. ord. Ubi siis, qui testamenti faciendi tempore liber ab omnibus habitus, testisque adhibitus, servus postea apparuit, testamentum non infirmatur. Nec enim id jure valet, sed Principis benignitate sustinetur.

38. Militibus in expeditione degentibus, quoquo modo velint ac possint, testari ex privilegio conceditur: Dummodo de ultimâ earum voluntate indubitanter constet. *toto tit. de test. mil. l. 14. C. eod.* Quo ipso & aliis militaribus privilegiis, hodiernos milites, dum ne indignos planè se præbeant, ac justo in bello militent, propter imperitiam nimiam, ac pericula pro aris focusque subeunda, adhuc perfrui, merito asseritur.

39. Qui alieno juri subjecti sunt, non habent jus facienti testamenti *pr. Quib. non est. perm. fac. test.* consequenter nec codicillorum *l. 6. §. 3. de jure codic.* Adeo, ut quamvis parentes iis permiserint, nihilo magis jure testari possint *d. pr. l. 6. pr. eod.* Est enim jure ac legibus testamenti factio filiis familias adempta, ac interdicta. Contra publicam prohibitionem autem, privata permissio nihil operatur.

40. Qui filium in potestate habet, eum aut heredem instituat, aut nominatim exheredet *pr. de exher. lib.* Hodie liberos præterire aut exheredes facere in suo testamento Parentibus non licet: Nisi fuerint ingrati, & ipsas nominatim ingratitudinis causas suo inferuerint testamento *Nov. 115. c. 3. pr.* Causæ autem quatuordecim *d. Nov.* enumerantur. In quarum consortium alias, licet æquè ponderosas ac graves, admittere, & verbis & intentioni optimi Imperatoris è diametro repugnat.

41. Impossibilis sive naturâ, sive jure conditio in testamentis pro non scripta habetur §. 10. de her. inst. l. 14. de cond. inst. quamvis planè vitiet contractus §. 10. de inut. stipul. Quod si non simpliciter, sed huic aut illi impossibilis sit, ut *l. 4. §. 1. de statulib.* aut si impossibilitas in verborum perplexitate consistat, ut *l. 16. de cond. inst.* etiam in testamento relicta per eam annullantur.

42. Si ex disparibus partibus hæredes scripti invicem substituti sint, & nulla partium mentio in substitutione habita: Eæ videntur in substitutione datæ, quæ in institutione expressæ sunt §. 2. *de vulg. subst. l. 24. eod.* Modò non alia fuerit mens testatoris, aut evidenter verbis expressa *d. l. 24.* aut præsumta. Præsumitur autem, si non communi hæredum nomine, sed propriis nominibus eos substituerit. *arg. l. 54. §. fin. l. 124. de leg. 1. l. 24. ad Senat. Treb.* aut inæqualibus oneribus eos gravarit *arg. l. 7. in fine de reb. dub. l. 23. ad Senat. Treb.*

43. Masculo usque ad quatuordecim substitui potest, fœminæ usque ad duodecim annos: Si hoc tempus exceſſerint, substitutio evanescit, ac finitur §. *pen. de pup. subst. l. 14. eod.* Nec si ulterius facta sit, post pubertatem, ceu fideicommissum in paternis bonis, ut ea substituto restitui debeant, valet: Nisi, qui substituit, sit miles, cui id ex privilegio largitur *l. 15. eod. l. 8. C. eod.*

44. Posteriore testamento, quod jure perfectum est, prius rumpitur. §. 2. *Quib. mod. test. infirm.* Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad supremum vitæ exitum. *l. 4. de adim. leg.* Nec eam sibi quis legem dicere potest, ut à priore voluntate recedere ei non liceat. *l. 21. pr. de leg. 3.* Nec pœnæ stipulatio interposita valet *l. 61. de V. O.* Nec juramentum jure civili confirmat quod actum est *l. 5. in fine C. de LL.* Jure canonico jusjurandum eâ de re interpositum obligat: Quippe quod de re per se illicitâ non est, nec in alterius vergit detrimentum, aut salutis æternæ dispendium *c. cum contingat de jurej. c. 2. eod. in 6. c. 2. de pact. in 6.*

45. De inofficioso liberi agunt ac Parentes, nisi aut ritè ex hæredati sint, aut legitima iis relicta §. *fin. de inoff. test.* Si non tota relicta sit, agitur ad supplementum §. 3. *eod.* Legitima autem liberorum aucta est à Justiniano, ac quadrans juris veteris, si quatuor aut pauciores liberi in trientem mutatus, si plures, in semissem *Nov. 118. c. 1.* An & Parentum? Magis est, ut cum affirmantibus tranſeamus: Nec enim turbato mortalitatis ordine, Parentibus minus piè, quam liberis, relinquitur *l. 15. de inoff. test.* An & collateralium? Id

verò rectius negatur: Nec eadem hic, quæ in Parentibus relin-
quendi necessitas, nec eadem pietatis ratio.

46. Licet inter vivos traditione non nudâ voluntate
dominium transferatur *l. 20. C. de pact.* Favore tamen succes-
sionum extraneus hæres scriptus, nudâ suscipiendæ hæredi-
tatis voluntate, suus etiam ignorans hæres fit. *§. fin. de her.
qual. & diff. §. 3. de her. que ab intest.* rerumque hæreditaria-
rum dominium consequitur: Non possessionem, nisi corpo-
raliter apprehenderit. *l. 23. de acq. poss. l. 1. §. 15. Si is qui test.
lib. esse juss.*

47. Tam corporales res legari possunt, quam incor-
porales: Et ideò, quod defuncto debetur potest alicui legari
§. 21. de legat. Quo legato continetur, quicquid ex quavis
causa debetur, ac in actionibus hæreditariis est *l. 59. de leg. 3.*
Imo & quod ex delicto debetur, venit in hoc legatum *l. 6. pr.
l. 12. pr. de V. S.* Modò actio, quâ id petitur, talis sit, aut eo in-
stato, ut morte non extinguatur, sed transeat in hære-
dem.

48. Ademptio legatorum vel expressis fit verbis *pr. de
adim. leg.* Vel tacitâ ac præsumptâ testatoris voluntate: Si ini-
micitæ capitales intervenerint *l. 3. §. fin. eod.* Si testator rem
legatam adimendi animo alienarit *§. 12. de legat.* Licet
alienatio ipsa valida non sit *l. 24. §. 1. de adim. leg.* Nec re-
demtâ re legatum convalescit *l. 15. eod.* Adimendi autem
animus in donatione semper adesse præsumitur *l. 18. eod.* In
aliis contractibus, si nulla necessitas urgeat alienandi: Si ali-
qua subsit necessitas, legatum in dubio non censetur revoca-
tum *l. 11. §. 12. de leg. 3.*

49. In singulis hæredibus, si plures sint, ratio legis Fal-
cidie ponenda est: Ut si unus quartam hæreditatis salvam
habeat, alterius verò portio legatis penitus sit exhausta, aut
supra modum onerata, hic nihilominus Falcidiam detrahere
possit. *§. 1. de L. Falc.* Si alterutro eorum in prædicto casu
deficiente, alter hæres solus existat, distinguimus. Aut pars
gravata non gravatæ accessit, & hæres è gravatâ, non obstan-
te, quod hæreditatis quartam in suâ portione salvam habeat,
Fal-

Falcidiam rectè retinet : Aut non gravata accessit gravata, & tunc per accrescentem partem legatarii adjuvantur. *l. 78. eod.*

50. Qui hæreditatem per fideicommissum rogatus est restituere, quartam ejus partem ex Senatusconsulto Trebelliano deducit ac retinet §. 7. *de fideic. her.* Sicut ex lege Falcidiã, à quo legata, vel fideicommissa particularia relicta sunt *pr. de L. Falc.* Hoc inter utrumque interest: Quod in Trebellianicam omne, quod quis ex judicio defuncti quocunq; titulo percipit, imputetur *l. 91. ad L. Falc.* In Falcidiam id tantum quod hæreditario jure ac titulo institutionis *l. 74. d. l. 91. ad L. Falc.* Non quod ei conditionis implendæ causâ datur, aut à cohærede legatur, nisi quoad ipsum cohæredem *l. 22 pr. eod.* aut si ea imputari testator voluerit. *l. 75. eod.*

51. Nemo ex fideicommissio rogari potest plus alicui restituere, quam ipse cepit ex testamento: Nam quod amplius est inutiliter relinquitur. §. 1. *de sing. reb. per fideic. rel.* Interdum tamen plus quam verba primâ fronte ostendunt, quis capere censetur: Si quis in diem aut sub conditione restituere jussus, pendente conditione aut die fructus percipiat, vel usuras. *l. 114. §. 3. de leg. 1. l. 70. §. 1. de leg. 2.* Nam & hæc augment quantitatem ac imputantur: Non istud lucrum, quod præter fructus ac usuras, ex suâ industriâ quis acquisivit *d. l. 70. §. 1.*

52. Codicilli nullam ordinationis solennitatem desiderant §. *fin. de codic.* Nec quinque testium numerum, sed nudâ perficiuntur testatoris voluntate. Nam & si pauciores quam quinque, vel nemo penitus testis intervenerit, fideicommissarius hæredi neganti, præstito prius calumniæ juramento, deferre jusjurandum, quod nihil tale à testatore audierit, potest: Si subeat ille, absolvitur: Sin recuset, tanquam confessus ad solvendum condemnatur. §. *fin. de fideic. hered.*

53. Ab intestato succedendi tres sunt ordines: Descendentium, ascendentium, collateralium. Descendentium prima causa est, qui si quidem primi gradus sint, pariter hæredi-

ditatem obtinent: Sin ulterioris, nulla gradus habitâ ratione, in stirpes jure repræsentationis non capita succedunt §. 6. de her. que ab int. Nov. 118. c. 1. Idque ultra etiam pronepotes in infinitum. Sequuntur ascendentes, in quibus ratio graduum ac proximitatis præcisè habetur, nec juri repræsentationis locus est: Si plures ejusdem gradus sint, in genera non capita hæreditas herciscitur. Nov. 118. c. 2.

54. Post ascendentes collaterales tertio loco vocantur: Ex quibus tamen fratres utroque Parente conjuncti, ac fratrum filii, etiam una cum ascendentibus succedunt. Nov. 118. c. 2. Nov. 117. c. 1. Et in his obtinet regula: Qui proprior est gradu, potior est in successione. §. 5. de leg. agn. succ. Nisi jure tamen repræsentationis remotior vel unâ cum proximioribus admittatur, vel eos etiam excludat. Quod in hoc ordine singulari privilegio fratrum filiis, si cum patris suis concurrant, tributum est Nov. 118. c. 3. Non si ipsi inter se, patris non extantibus, hæreditatem partiantur. l. 2. §. 2. De suis & leg. her. l. 14. §. 1. l. 15. §. 1. C. eod.

55. Licet vulgò quæsitæ sint liberi, mater tamen, etiam illustris, & cæteri à matre ascendentes ad bona eorum admittuntur §. fin. de Senat. Tertull. Non Pater aut paternæ lineæ ascendentes. Hunc enim habere non intelliguntur: Cum mater semper sit certa, etiam si vulgò conceperit, Pater verò is, quem nuptiæ demonstrant. l. 5. de in jus voc.

56. Sicut autem liberis spuris mater, ita hi similiter matri ac à matre ascendentes succedunt, non Patri §. pen. de Senat. orfic. Ut etiam in officiosi querela, adversus matris testamentum, in quo nec instituti, nec ritè exheredati sunt, iis competat. l. 29. §. 1. de inoff. test. Si tamen illustris sit mater, ac legitimos liberos habeat, nihil ab hac, ne donatione quidem inter vivos vulgò quæsitæ capere possunt. l. 5. C. ad Senas. orfic.

57. Collaterales admittuntur ad hæreditatem, etiam si decimo gradu sint §. fin. de succ. cogn. imò etiam si ulteriori ac longissimo sint §. 3. de leg. agn. succ. in infinitum l. 2. §. 1. de suis & legit. her. Modò jus cognationis deduci ac probari possit: Ut

Ut certè illi, qui ab intestato delatam sibi petit hæreditatem, probandi onus incumbit.

58. Jure civili, ubi de cognatione ac proximitate collateralium quaritur, semper generata persona adjicit gradum §. 7. *de grad. cogn.* Jus canonicum divertit: Cui duo gradus legales unum gradum constituunt *c. ad sedem 35. q. 5.* Illud in successione ac tutelis, hoc in nuptiarum prohibitione, hodiernâ consuetudine attenditur. Ratio tamen, quâ Pontifex motus à jure civili discessit, non admodum concinna aut congrua est.

59. Servilis cognatio in nuptiis contrahendis impedimento est §. 10. *de nupt.* In acquirendâ hæritate adjuncto non est *l. 1. §. 2. unde cogn. l. 10. §. 5. de grad. & aff.* Ibi enim naturale jus ac pudor inspicitur *l. 14. §. 2. de ritu nupt.* In successione civilis dispositio attenditur: Unde hac in parte cognatio contrahi, nisi justis nuptiis nõ dicitur *l. 4 § 8. de grad. & aff.* Justinianus & hic legibus antiquis manum admovit, earumque rigorem emolliens statuit: Ut, etiam quod ad jus succedendi, cognationis in servitute contractæ post manumissionem ratio aliqua habeatur *pr. de serv. cogn.*

60. Libertas inestimabilis res est § *fin. Quib. ex caus. man. non lic. l. 106. de R. J.* Unde illis, qui tam grande beneficium conferunt, merito aliquid redhostimenti loco tributum: Jus nempe Patronatus. Id tria præcipuè complectitur 1. obsequium ac honorem *l. 9. & toto tit. de obs. Par. ac patr. præst.* 2. Alimenta egenti præstanda. *l. 5. §. 18. & sequ. de lib. agn.* 3. Successionem §. 3. *de succ. lib.* Hujus ad exemplum aliud jus patronatus adinventum est, quod is habere dicitur, qui ecclesiam fundavit, aut dotavit: Cui similiter honor debetur, ac egenti alimenta *c. nobis de jure patr.* Successio, quoniam immortalis ecclesia est, *arg. l. 76. de jud.* deberi non potest.

61. Patri uni ex liberis assignare libertum licet, ut post mortem ejus solus is patronus habeatur *pr. de assign. lib.* Quemadmodum & de bonis suis usque ad legitimam pro lubitu disponere: Et unius, aut aliquorum liberorum condi-

C

tio.

tionem facere meliorem *Nov. 22. c. fin.* Sed hoc in allodialibus. In feudalibus filii æqualiter succedunt, nullâ ordinatione defuncti manente aut valente *1. FF. §.* Nisi feudum sit novum: De quo Patris dispositionem in præjudicium suam factam, filii oppugnare non possunt.

62. Bonorum possessionem, qui novo jure, sublati veteris juris subtilitatibus, abolitam, ac ab usu penitus recessisse autinant, nec levi nec tolerando rapiuntur errore. Nam & magis aliquando utilis ejus petitio est, quàm successio juris civilis: Utpotè cum hoc magis strictum rigorem, Prætor naturalem sectetur æquitatem. Et interdum, ubi juris civilis dispositio deficit, omninò necessaria.

63. Ut hodiè ususfructus tantum in iis, quæ extrinsecus filiis adveniunt, naturalibus Parentibus acquiritur, dominio filiis integro servato: Ita ad hujus similitudinem per arrogationem in arrogati bonis Pater adoptivus non plus juris consequitur. *§. 2. de acquir. per arr.* Nec enim jus civile plus, quam natura ipsa, aut fictio plus quam veritas operari debet.

64. Cessante ratione ac causâ finali legis (non impulsivâ *l. 1. §. 5. v. sexum de postul. l. 2. fin. de donat.*) meritò cessat dispositio *§. 6. de eo cui lib. causa bona add. l. 32. de pact. l. 6. §. 2. de jure patr. c. cum cessante de appell.* Si una tantum legis sit ratio: Nam si plures omnes cessare debent, ut dispositio cesset. *§. 6. & 7. de nupt.* Sed hoc procedit nisi aperte constet, legislatorem indistinctè, etiam in casibus ubi ratio cessat, legem obtinere voluisse. *l. 12. §. 1. Qui & à quib. man.*

65. Judicia alia ordinaria sunt, alia extraordinaria sive summaria *c. quoniam de probat. Clem. dispendiosam de judiciis.* Quæ divisio plenum adhuc hodiè obtinet vigorem. Nam quod in *pr. de succ. subl.* ordinaria judicia exspirasse dicuntur, & in *§. fin. de interd.* omnia judicia esse extraordinaria, ratione illarum formularum, quæ antiquitus in judiciis adhibitæ, at à Constantino radicitus amputatæ sunt. *l. 1. C. de form. subl. accipi convenit.*

66. Obligatio est juris vinculum, quo necessitate alicujus rei solvendæ astringimur *pr. de oblig.* Rei vox latius accipitur *l. 1. de reb. cred.* ut & operas contineat *l. 3. de O. & A.* Inter rerum tamen ac operarum obligationem aliquid interest. Res præcisè debentur ac solvendæ sunt, modo solvi possunt: Nec præstatio interesse liberat debitorem §. 2. *de donat.* §. 1. *de emt. & vend. l. 11. §. 2. de act. emt. l. 6. C. de rescind. vend. §. si facta de feudo 2. FF. 26.* Operæ non item: Quas si quis præstare nolit, licet ei æstimationem ejus, quod interest, subire. *l. 13. in fine de re jud. l. 68. de V. O.*

67. Mutuum est contractus, quo res nostras alicui eâ lege damus, ut non eadem nobis, sed aliæ ejusdem naturæ ac qualitatis reddantur *pr. Quib. mod. re contr. obl.* In quo initium contractus spectandum est, ut semper *l. 12. ad Senat. Mac. l. 1. §. 30. de pos.* Nec enim ab initio aliter conveniri potest. Ex accidenti post sepe evenit, ut eadem res, aut etiam aliæ diversæ naturæ ac qualitatis reddantur.

68. Verbis obligatio contrahitur ex interrogatione, & responsione, cum quid dari fieri ve nobis stipulamur *pr. de V. O.* Causa tamen aliqua subesse debet, ut efficax producat obligatio: Quæ si nulla appareat, donatio non præsumitur *l. 25. §. de probat. l. 2. §. 3. de doli exc. c. si cautio de fide instr.* Nisi de certâ promittentis scientiâ, unde animus donandi conjicitur, apertè constet. *l. 47. de op. lib.*

69. Duobus stipulandi correis singulis in solidum debetur, & duo vicissim promittendi rei singuli in solidum tenentur: Unus tamen debitum accipiendo vel solvendo omnium perimit obligationem §. 1. *de duob. reis.* Nec id novo jure, nisi quoad illos, qui alternâ fidejussione se obligarunt, immutatum est. *Nov. 99. c. 1.*

70. Quæ facti sunt personæ coherent, nec trans-eunt ad Dominos *l. 44. pr. de condit. & dem.* Ideo cum factum in stipulatione servi versatur, persona sola servi stipulantis, non Domini continetur: Veluti si servus stipuletur ut sibi ire, agere liceat: Ipse enim tantum prohiberi non debet, non etiam Dominus ejus. §. 2. *de stip. serv.*

71. Stipulationes judiciales, quæ à mero Judicis officio proficiuntur §. 1. de div. stipul. Et Prætoriarum, quæ à Prætoris §. 2. eod. Differunt. In illis enim nuda repromissio sufficit l. 3. C. de V. S. Hæ fidejussores regulariter ac plerumque desiderant. l. 7. de prætor. stipul.

72. Privatæ scripturæ nisi contra scribentem, aut producentem non probant. l. 26. §. fin. de pos. l. 6. C. de prob. auth. si quis C. qui pot. in pign. At publicis instrumentis, de aliquâ re factis, plena fides habetur: Et quodcunque scriptum est, quasi actum, videtur etiam actum §. 17. de inut. stip. §. fin. de fidej. N si manifestissimis ac liquidissimis probationibus contrarium astruatur. §. 12. de inut. stip. l. 14. C. de contr. stip.

73. Fidejussor efficacius quam reus principalis obligari potest: Ut si naturali obligationi accedat §. 1. de fidej. l. 25 eod. Ut plus, quam is pro quo fidejubet, debeat, non potest: Ne plus in accessione sit, quam in re principali §. 5. eod. Plus autem quatuor modis, Re, tempore, loco, causâ, intelligitur §. 33. de action. Si tamen in majorem summam accesserit, saltem in concurrentem tenetur l. 33. Mand. Ne utile per inutile vitietur. c. utile de R. J. in 6.

74. Exceptio non numeratæ pecuniæ nisi per protestationem perpetua fiat l. 21. C. de ep. aud. l. 14. §. fin. C. de non num. pec. ultra biennii metas non extenditur tit. de lit. obl. l. 8. l. 10. l. 14. §. 3. C. de non num. pec. Post illud tempus debitor ejusve hæres omninò solvere compellitur l. 8. C. eod. Nec etiam si onus probandi in se suscipere paratus sit, audietur.

75. Obligationes quædam consensu fieri dicuntur: Non quod reliquæ eo non indigeant, nullus enim contractus est, nulla obligatio, quæ in se non habeat conventionem ac consensum. l. 1. §. 3. de pact. Sed quod nudo consensu, nec re, nec verbis, nec scriptura intervenientibus perficiantur §. 1. de obl. ex conf. Quamquam ad firmiorem contractus fidem, ac majorem solennitatem sæpius scriptura adhiberi soleat pr. de emt. & vend.

76. In contractu emtionis ac venditionis arrha dari solet: Quâ datâ, si alteruter contrahentium recuset adimple-

plere contractum, siquidem emtor, perdit quod dedit; Sin-
venditor, duplum restituere compellitur. *pr. de emt. & vend. l.*
17. C. de fide instr. Sed id obtinet in contractu incepto: Nam
in perfecto, ne quidem, si arrham amittere aut duplum ejus
restituere quis velit, altero dissentiente pœnitentiæ locus est.
l. 5. C. de O. & A.

77. Locatio in perpetuum aut longum tempus facta,
in emphyteuseos naturam ac nomen transit, ejusque regulis
censetur *arg. l. 1. C. de off. Com. sacri pal. junctâ l. 1. & toto tit.*
C. de loc. præd. civ. l. 11. Quâ de re utile etiam dominium,
quod habet emphyteuta *l. 12. C. de fund. patr. l. 11.* & utilis in-
rem actio conductori communicatur. *arg. l. 1. §. 3. de superf.*
l. 1. si ag. vect.

78. Societatem omnium bonorum coire possumus
pr. de societ. Et tunc omne lucrum communicatur *l. 3. §. 1.*
l. 52 §. 16. pro soc. Sicut & sumtus, & damna, nisi dolo vel
culpâ unius socii contracta *d. l. 52. §. fin.* Unde & dos filia-
bus è communi constituenda: Et quod studiorum causa ac ad
honores literarios consequendos Pater filiis subministravit,
societati imputandum. *l. 73. §. 1. eod.*

79. Mandatum nisi gratuitum sit in aliam formam
negotii cadit: Nam mercede constitutâ est locatio conductio
§. fin. de mand. aut contractus innominatus *l. 22. præscr. verb.*
Remunerandi tamen gratiâ honos intervenire potest, qui
non ex ullâ obligationis necessitate, sed solâ liberalitate dan-
tis proficiscatur. *l. 6. pr. Mand.*

80. Hæres adeundo hæreditatem cum legatariis quasi
contrahit, iisque legatorum nomine quasi ex contractu obli-
gatus intelligitur *§. 5. de obl. quas quasi ex contr. l. 3. §. fin. Quib.*
ex caus. in poss. eat. Cæteris creditoribus, quibus ipse defun-
ctus, in cujus hæres locum ac jus succedir, obligatus fuit, non
quasi ex contractu, sed propriè ex contractu, tanquam ipse
defunctus teneretur.

81. Per liberum hominem, qui bonâ fide servit, acqui-
ritur alicui ex duabus causis: Si quid ex operis suis, vel ex re
ejus, cui servit, acquirat *§. 1. per quas pers. cuiq. acqu.* Ex re
ali-

alicujus intelligitur etiam hæreditas vel legatum contemplatione alicujus relictum *l. 45. §. 4. de acq. her.* Si enim qui bonâ nobis fide servit, hæreditatem ejusmodi adierit, vel legatum acceperit, ex jussu nostro quasi servus noster, nobis acquirat. *d. l. 45.* Sicut animo, ut ipse sibi acquirere vellet, ipse fit hæres: Attamen si evidens testatoris voluntas sit, volentis ad nos pertinere hæreditatem vel legatum, illa nobis quasi ex fideicommissio restituenda sunt: Et hic genuinus sensus est *l. 19 de acq. rer. dom.*

82. Aliud pro alio invito creditori solvi non potest *pr. Quib. mod. toll. obl.* Unde si certa pecuniæ species designata ac in obligationem deducta sit, ea ipsa species de quâ conventum, sive valor ejus creverit, sive decreverit, numeranda est. *l. 99. de solut.* Aliud, si non singula corpora cogitent contrahentes, sed quantitatem & æstimationem *l. 64 §. 1. eod.* Solutio enim in quavis monetæ specie, usque ad æstimationem competentem, fieri potest *l. un. C. de coll. ar. l. un. C. de arg. pret. quod thes. l. 10.*

83. Pœna manifesti furti, si civiliter agatur, quadrupli est: Nec manifesti, dupli *l. 5. de obl. qua ex del.* Si criminaliter, extraordinaria coercitio *l. ult. de furt. l. 56. §. 1. eod.* In quâ arbitrium Judicis absolutè liberum fuisse apparet ex *l. pen. de cond. causâ datâ.* Quod post restrictum est, nec ad mortem aut membri abscissionem pervenire potuit. *Nov. 134. c. fin.* Hodie ad antiquum rigorem, ob delictorum frequentiam *l. 16 §. fin. de pœn.* rectè reductum est, & ex Carolinâ sanctione furti pœna, respectu circumstantiarum habito, ad mortem sæpè extenditur.

84. Rem propriam si quis vi ab altero rapiat, dominium ejus amittit *§. 1. bon. rapt. l. 7. C. unde vi.* Vis enim est, ac pœnam meretur, si quis id, quod deberi sibi putat, non per Judicem reposcit *l. 13. quod met. causâ.* Nisi faciat id titulo defensionis in continenti. *Ord. Cam. p. 2. t. 9. §. 1.* Aut serò nimis succursurum sit Judicis officium *l. 1. C. quando lic. unis. sine Jud.* Ut si debitori, & magis furi, fugienti, pecuniam debitam quis auferat *l. 10. §. 16. qua in fraud. cred.*

85. Si virgini stuprum quis intulerit, an de damno injuriâ dato conveniri, ab eâ aut Parentibus possit, quaeritur? Respicendum putamus an volenti id factum, an invita ac vim passæ. Hoc casu cum injuriarum actione concurrerit, Aquilia, arg. §. 13. ad L. Aquil. aut certè in factum actio §. fin. ad L. Aquil. & utraque dabitur utrique. Priori, stupratae denegamus actionem: Cum suâ culpâ damnum ac dedecus, quod sentit, sentiat l. 203. de R. J. nec volenti injuria facta intelligatur. Parentibus tamen, ut quorum nulla culpa, utraque certè competet.

86. Injuriarum civiliter aut criminaliter agitur §. 10. de injur. Civiliter vel ad injuriæ æstimationem, vel palinodiam seu recantationem: Nam ad hanc quoque actio civilis est. Ord. Cam. p. 2. t. 28. v. sonderlich. Criminaliter ad poenam extraordinariam reo infligendam d. §. 10. Quæ ob delicti enormitatem, sicut omnis regulariter arbitrio Judicis relicta poena l. 13. de pæn. ad mortem extendi potest.

87. Judex, qui malè judicat, litem suam facit. Et siquidem dolo: Ex vero delicto tenetur, ad totam litis æstimationem & omne interesse l. 15. §. 1. de jud. l. 2. C. de pæn. jud. qui malè jud. Imò falsi crimen incurrit l. 1. §. 3. ad L. Corn. de fals. Et in criminali judicio innocentem condemnans lege Corneliâ de sicariis plectitur l. 1. pr. ad L. Corn. de sic. Sin per imprudentiam: Ex quasi maleficio obligatus est, ideoque condemnandus, in quantum æquum religioni judicantis videbitur. pr. de obl. qua ex quasi mal. l. fin. de extr. cogn.

88. Actio bonæ fidei dupliciter dici potest. Aut ut dolum malum excludat, eique opponatur l. 3. in fine pro soc. Et hoc significatu omnes, etiam stricti juris, actiones bonæ fidei indigitari possunt. Aut, ut judici liberam ex bono & æquo decernendi permittat facultatem §. 30. de arb. Et sic ultra septendecim non numerantur §. 28. & seq. eod.

89. Senatusconsultum Macedonianum prohibet mutuas pecunias dare iis, qui in potestate Parentis sunt: Et ei, qui crediderit, denegat actionem, tam adversus ipsum filium, filiamve, quam Patrem, Avumve. §. pen. Quod cum eo qui in al. pot.

90. Cessat tamen Senatusconsultum, si ad necessarios furatus, quos Patris pietas non recusaret, ut si studiorum causa filius alibi degat, sit credita *l. 5. C. ad Sen. Mac.* Modò probabilem modum mutuans non excefferit. *l. 7. §. 13. eod.*

90. Ex maleficiis servorum noxales actiones dantur, quibus damnatio permittitur, aut litis aestimationem sufferre, aut hominem noxæ dedere *pr. de nox. act.* Dantur autem non contra Dominum tantum, sed & quemvis possessorem. *l. 13. de nox. act.* Hodie earum, quod servos attingit, nullus est usus: Cum famuli nostri liberi sint, nec ex eorum delicto teneamur *arg. §. fin. eod.* Nisi quatenus merces eorum se extendit.

91. Nunquam actiones, præsertim poenales, de eadem re concurrentes alia aliam contumit *§. si quadr. paup. l. 130. de R. J.* Si ergò unâ prius agatur, nec per litis contestationem, nec per sententiam condemnatoriam (minus ergò absolutoriam) liberatio ab alterâ contingit, etsi in alterâ nihil sit amplius: Sed tantum per solutionem & perceptionem actoris, quatenus solutum perceptumve est *l. 18. §. fin. de pec. const. l. 2. §. 1. de tut. & rat. distr.* Loquimur autem de actionibus concurrentibus, quæ simul, *hec & illa* dantur: Non de illis, quæ alternativè, *hec aut illa*, competunt, in quibus unâ semel electâ ad alteram non datur regressus. *l. 21. §. fin. Quod met. causa. l. 38. §. 1. Pro soc. l. 27. §. 11. ad L. Aquil.*

92. Non proprio solum nomine, sed & alieno agere possumus. Cuicumque enim quis permiserit rem suam agere aut defendere, Procurator ejus intelligitur. *§. 1. de vis per quos ag. poss.* Nisi jure prohibeatur. Prohibentur autem in totum quidam vel naturâ, vel jure civili. Naturâ: Puppillus, furiosus *l. 2. §. 1. de procur.* Civili jure: Servus, deportatus. Civile enim hoc officium *l. 2. de R. J.* A quo hi arcentur *l. 17. §. 1. de pen.* Quanquam deportatus in proprio negotio Procuratorem ipse dare possit. *l. 20. pr. de min.*

93. Nemo alienæ rei defensor idoneus sine satisfactione, *Judicatum solvi*, intelligitur. Quam si reus ipse præstitit, eaque Procuratoris personam confirmavit, Procuratur eo onere sublevatur §. 4. *de satisd.* Sin reus non præstitit, ipsemet Procurator, etiam sub gestorum testificatione factus, in litis limine satisfacere compellitur: Nisi ab actione repelli velit. §. 5. *eod. l. un. in fine C. eod.*

94. Pœnales actiones hæredibus quidem, paucis exceptis, dantur: At in hæredem rei non competunt, nisi lite per principales personas contestata §. 1. *de perp. & tempor. act. l. 139. pr. de R. J. l. un. C. ex del. def.* In publicis judiciis nec per litis contestationem, sed solam condemnationem pœna publicationis bonorum adversus hæredes transit: Excepto repetundarum ac majestatis judicio, quæ etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri possunt *l. 20. de accus.*

95. Exceptiones aliæ peremptoriæ sunt, aliæ dilatoriæ §. 8. *de except.* Illæ, quæ rem, de quâ agitur, perimunt §. 9. *eod.* & totius negotii principalis conditionem tollunt, viresque exhauriunt *l. 2. C. de prec. imp. off.* Hæ, quæ temporis solum dilationem tribuunt, nec totam actionem tollunt, sed differunt tantum. §. 10. *de exc.*

96. Exceptiones, quibus debitor defenditur, rei non personæ cohærentes *l. 7. de except.* accommodantur fidejussoribus ejus *l. 11. C. de except.* Debitoris enim accommodari iis interest, cum mandati judicio redditurus sit iis, quod solverint §. *fin. de replic.* Si ergo mandati actionem non habeant fidejussores, nec exceptio iis datur: Ut si animo donandi *l. 32. de pact.* Si pro invito ac vetante *l. 40. Mand. fidejuss.*

97. Possessio solo animo non acquiritur *l. 3. §. 1. de acqu. poss. l. 4. C. eod.* Solo verò animo possidendi retinetur §. 5. *de interd. d. l. 4. C. de acqu. poss.* Imò sine animo possidendi, modo absit animus detrendæ possessionis *l. 27. eod.* Corporalis tamen detentio necessaria est, saltem potentiâ:

D

Ut,

Ut, si velimus, naturalem possessionem nancisci possimus. l. 3. §. 13. eod.

98. Pro socio, tutelæ, mandati, depositi suo nomine, directo non contrario judicio damnati ignominia notantur l. 1. de his qui not. inf. §. 2. de pen. rem. litig. In directo enim de fide rupta agitur: In contrario non de perfidia sed calculo. l. 6. §. fin. de his qui not. inf. Cæterum si & in his de perfidia quærat, damnatum merito comitabitur infamia d. l. 6. §. 5.

99. Judex non aliter judicet quam legibus aut constitutionibus aut moribus proditum est *pr. de off. jud.* Si directò ac apertè (non tacitè aut per consequentiam l. 27. de re jud.) contra tulerit sententiam, ea nulla est l. 19. de app. etiam secundùm speciale Principis rescriptum lata *Nov. 113. c. 1. §. 1.* Contra autem judicat, qui de jure constitutionis, non litigatoris pronuntiat l. 1. §. 2. *Quæ sent. sine app. l. 2. C. quando prov. non est nec.* Si verò existimet causam, de quâ judicat, per eam legem aut constitutionem, quia dubia fortè ac controversa est, non juvari. l. 2. de re jud. valida est sententia. sed per appellationem parti gravatæ succurritur.

100. Lex Julia Majestatis in eos vigorem suum extendit, qui contra Imperatorem vel rempublicam aliquid moliti sunt §. 3. de publ. jud. Hodie etiam contra imperii Electores *Auræ Bullæ tit. 24.* Imò contra quosvis Principes, Comites, Barones, Respublicas liberas imperiales, qui immediate imperio subsunt, solumque Imperatorem recognoscunt superiorem: Non ipsorum personæ respectu habito, sed ipsius, cujus velut membra ac pars sunt, Imperatoris. l. 5. *pr. C. ad L. Jul. Maj. adde l. 1. eod.*

Et sic tandem præstitutos carceres, cum bono DEO, emensilimus: E variis hinc inde collectis flosculis sertum concinnavimus. In quo, si aliquod tulimus punctum, est quod nobis gratulemur. Sin in multijugâ hac varietate, aliquid minus odoriferum intertum, & quod naribus (an-
au-

auribus dicam potius) arrideat minus, facilem & speramus,
& meremur veniam, à quovis, qui illud sacratissimi Impera-
toris nostri cogitarit: *Omnia habere memoriam, & peni-
tus in nullo peccare, divinitatis magis esse, quam morta-
litas.*

F I N I S.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

I
H
b



ULB Halle


3

005 132 649



1017





7632.

CHRISTO DUCE ET AUSPICE CHRISTO

M

ILLUSTRUM
JURIS QUÆSTIO-
NUM
CINNUS

1626,1

Quem

Permissu Nobilissⁱ ac Amplissⁱ Jctorum Or-
dinis in Almâ Salanâ

PRÆSIDE

DN. D. DOMINICO ARUMÆO
Hæreditario in Lobedaw & Geschwitz /
Juris Utriusque Consulto, Codicis Professo-
re, Facultatis Juridicæ Seniore & pro tempore Decano, Cu-
riæ provincialis ac Scabinatus Assessore, Præceptore
suo summo animi cultu observando.

Publicè, sed placidè

Omnibus

*Veritatis, Justitiæ, sui
Studiosis*

discutiendum exhibet

BUGISLAUS PHILIPPUS CHEMNITIUS.


In auditorio Jctorum, ad diem 20 Martii *Maji*

JENÆ

Typis JOHANNIS BEITHMANNI,
ANNO M. DC. XXVI.

17.

16.



B.I.G.

Farbkarte #13

